

mitti, et eos ad restitutionem adstringi, tenens universim leges tributarias esse mere poenales. Ratio est, 1º quia haec leges generatim sub poena, et quidem sub poena gravi feruntur: unde recte presumitur legislatorem nolle sub culpa obligare. 2º Si omnia tributa integre solverentur, necessitatem publicam excederent. 3º Insuper mulctae in poenam iis quorum fraudes reprehenduntur impositae, alias fraudes large compensant, et sic finis intentus attingitur. « An autem, inquit S. Ligorius<sup>1</sup>, propter has rationes, quae ceterum non videntur contempnenda, ipsa (haec sententia) sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto. » Ubi advertendum quod, cum rationes quibus fulcitur haec sententia S. Doctori videantur non contempnenda, ipsa sententia vere probabilis ei debuerit apparere. Alibi dicit<sup>2</sup>: « Ego non omitto primam sententiam (supra expositam) suadere. » Eam non tantum suaderet, sed imponeret, si opinionem oppositam ut improbabilem haberet.

Tertia sententia viam medianam tenet et dicit: Peccant fraudantes tributa, quia edicta principis non sunt facile reprehendenda; sed non tenentur ad restitutionem. Ratio est, quia subditi debent quidem leges servare et tributa solvere, sed non secus ac ipse princeps tenetur recte gubernare, videlicet ex sola justitia legali, a cuius lassione non oritur restitutionis obligatio. Aliunde, ita communiter apprehenditur haec questio hodiernis temporibus, tum quia multa tributa excessiva facta sunt; tum quia inter tributa quaedam, et forte plura, reputanda sunt injusta; tum denique quia fraudationes compensantur multis applicatis, quae in hunc finem graves et gravissimae fuerunt edictae. Ita plures recentiores.

Ceterum, questio non videtur regula generali solvenda. Pendet enim ex mente legislatoris et ex interpretatione usuali, quae pro variis temporibus ac locis, imo pro variis tributis, variari possunt. Sic, v. g., in Anglia, universim leges tributariae non aliter quam ad modum

1. Lib. IV, n. 616. — 2. *Homo apost.*, X, 81.

legum poenali obligare existimantur<sup>1</sup>. In Gallia, poenales satis communiter reputantur leges de tributis indirectis, praesertim pro jure successionis in linea recta, minime vero leges de tributis directis<sup>2</sup>.

In hoc sententiarum conflictu, standum esse videtur regulæ practicæ a card. De Lugo propositæ<sup>3</sup>: « Mihi, inquit, semper maxime placuit consilium P. Molinæ...: ante factum consulendum esse ne tributa defraudentur; post factum, si penitens sibi certo aut probabiliter persuadeat in tanta tributorum multitudine esse aliquid injustum..., non esse cogendum a confessario ad restitutionem; hac tamen doctrina prudenter utendum esse, tum ne sacramentum Pœnitentiæ reddant nimis grave, et ne viam salutis precludant multis, qui, si a confessario obligentur, non restituent et æternam damnationem incurront. » Ita etiam Bonacina<sup>4</sup>, Vogler<sup>5</sup>, Scavini<sup>6</sup>, Roussetot<sup>7</sup>. Card. Gousset, quamvis generaliter stet pro obligatione, eamdem prudentiam erga penitentes commendat<sup>8</sup>. Hanc regulam refert et approbare videtur S. Ligorius<sup>9</sup>. ]

Potes 3º utrum tributa de quorum justitia dubitatur solvi debeant in conscientia.

Est autem ratio dubitandi de justitia tributi, inquiunt graves authores, quando nova tributa imponuntur aut antiqua augentur; item quando est communis persuasio in populo, maxime in probis et doctis, ea quae praetextu necessitatis imponuntur aut augentur, in non necessarios usus expendi, aut in majori quantitate exigi quam necessitas requirat. Tot enim, inquiunt, conditiones requiruntur ad justitiam tributi imponendi vel augendi, ut in tanta tributorum multitudine qua his temporibus gravantur populi, merito presumatur quaedam esse injusta, plura

1. Crolly, *de Restit.*, n. 1032. — 2. Marc, *Instit. moral. Alphons.*, n. 967. — 3. Dist. 36, n. 43. — 4. Disput. 2, *de Restit.*, q. 9, punct. 1, prop. 2. — 5. N. 332. — 6. *De Restit.*, cap. 1, art. 1. — 7. *Not. ad theol. mor. Sættler, de Legib.*, part. 2, c. 2, a. 3. — 8. N. 999. — 9. Lib. IV, n. 616, in fine.

incerta et dubia. In ejus rei confirmationem proferunt cap. *Quanquam, de Censibus*, in 6<sup>o</sup>, lib. III, tit. 20, in quo Bonifacius VIII dicit, « pedagiorum exactiones tam jure canonico quam civili regulariter merito esse damnatas ; » quia « regulariter » deest aliqua conditio requisita. Quæstio, inquam, valde perplexa est : an in tali dubio tributa sint necessario in conscientia solvenda ?

Quidam affirmant ; quia in dubio an lex sit justa vel injusta, præsumendum est in favorem superioris, quod juste præcipiat, potius quam injuste ; nec subditorum est eorum præcepta ad examen revocare. Ita Sylvius, Cabassutus et alii.

Quidam negant ; quia in dubio est melior conditio possidentis. Subditi autem possidet res suas et immunitatem a tributo. Pro hac sententia citantur Sylvester, S. Antoninus, Cajetanus, Petrus Navarrus, Fumus, Arragon, Medina, Gabriel et alii plures.

Si inter tantos viros sententiam nostram aperire liceat, dicam neutrum fundamentum mihi videri satis firmum. Non primum ; quia non est, totaliter saltem, præsumendum in favorem superioris, quando agitur de interesse ipsius et de damno subditi : de interesse ipsius, quia tunc jure timeri potest ne sit partialis et sibi faveat ; de damno subditi, quia tunc æquum videtur ut subditus, antequam re sua spoliatur, inquirat an vere debeat. Unde cap. *Pervenit, de Censibus, Decretal. lib. III, tit. 39*, dicitur : « Oportet ut omnis census ad quid et quando persolvi debeat præsciatur. » Id modo magis elucidabitur.

Non secundum ; quia possessio non reddit meliorem conditionem possidentis, nisi in quantum importat præsumptionem veritatis in favorem illius, ut dixi alibi. Quod hic non currit. Ex eo enim quod subditi res suas et immunitatem possideat, non habetur inde præsumptio quod tributum sit potius injustum quam justum. Insuper, si subditi possideat res suas, superior possidet authoritatem præcipiendi ; sicque una possessio compensatur per alteram.

Itaque, salvo meliori judicio, arbitror dicendum de

tributis dubiis quod alias dixi de cæteris debitibus dubiis, nempe esse solvenda pro rata dubii, ita quod ab iis solvendis non sint omnino liberi subditi, neque ad hæc integræ solvenda cogantur : ne, ex una parte, si a solutione tributorum dubiorum subditos eximas, noceas principi, cui forte debentur, et ab obedientia ipsi debita subditos injuste subtrahas ; et ex altera, ne, si ad integræ solutionem cogas, damnum inferas subditis, qui ea forte non debent. Igitur solvendum est tributum dubium, ne incurritur periculum committendi injustitiam ; neque tamen est totum solvendum, quia debitum dubium non est tanti valoris, quanti est debitum certum. Vide Dissert. de *Restit.*, art. 3, Petes 13<sup>o</sup>. Nolim tamen in hac parte constitutere subditum judicem in propria causa ; sed consultat viros probos et doctos qui, attenta, ex una parte, ratione dubii, et ex altera, quantitate bonorum aut negotiationis, dicant ex æquo et bono quantum solvere debeat, et eorum stet judicio. Quod autem dico de ipsa solutione tributi dubii, idem est dicendum de restitutione non soluti.

Neque ab hac sententia videtur alienus doctissimus Sylvius, alioquin stans in dubio pro parte principis, dum dicit q. 66, a. 8, concl. 7 : « Si quis fraudet de illis vectigalibus quantum bona fide existimat se plus æquo graveri, neque peccat, neque tenetur ad restitutionem. Quod meminisse oportet confessarios, quando agitur de fraudatorum vectigalium restitutione injungenda. »

[Jam dictum est alibi hanc solutionem, nempe in dubio de justitia tributi solvendum esse pro rata dubii, admitti non posse, 1<sup>o</sup> quia difficile, imo impossibile esset determinare comparative pondus rationum quæ pro legislatore et contra eum militant ; 2<sup>o</sup> quia, cum de obligatione dubia agitur, examinandum et decernendum est an existat, vel non, et quamdiu non clare appareat eam existere, licet practice eam ut nullam habere. Unde vel tota adimplenda est, vel tota relinqu potest. Hoc resultat ex principio positivo et probato in quæstione de *Probabilitate*, in tractatu de *Actibus humanis*.

Alier ergo solvenda est hæc difficultas.

Lessius<sup>1</sup>, et cum eo plures, dicunt tributum solvi debere, cum dubium est mere negativum, id est cum simpliciter nescitur an tributum sit justum; quia tunc nihil positive invocari potest in favorem tributarii, et e contra præsumptio stat pro principe, cuius authoritas est in possessione præcipiendi. Si vero dubium sit positivum et adsit vera præsumptio de injustitia tributi, negat card. de Lugo<sup>2</sup>, cum Molina, tributum in conscientia esse solvendum: quia obligatio non est certa; subditus possidet simul suam libertatem et suam pecuniam, quibus privari non debet nisi ex titulo certo; aliunde principi tributum petenti incumbit onus probandi suam legem esse justam. Hanc vero sententiam limitant prefati autores tributis novis, quorum causa non satis appetet ut justa; tributa enim quæ a longo tempore ab omnibus pacifice fuerunt soluta præsumuntur justa, nisi eorum causa penitus cessaverit.

*Dices*: Est regula juris quod « in dubio lex præsumitur justa. » Ergo pariter et tributum.

*Resp.* Nego paritatem. Stat quidem præsumptio pro legislatore in legibus ordinariis, quia ejus authoritas est in possessione præcipiendi, et obedientia denegari vel suspensi non potest, nisi probetur vel ex gravibus rationibus præsumi debeat legem esse injustam; quod onus subdito incumbit. E contra, in legibus tributariis, onus probandi justitiam legis, incumbit principi. Etenim hujusmodi leges sunt odiosæ, et his applicatur regula 13<sup>a</sup> juris in 6<sup>o</sup>: « Odia restringi et favores convenient ampliari. » Insuper, communiter docetur subditum non teneri in dubio ad obediendum, quando preceptum est nimis difficile, vel grave damnum illi infert, ex hac altera regula juris: « In dubio favendum est ei de cuius damno agitur. » Porro solutio tributi non justi est res damnosa. Præterea, multi et gravissimi doctores dicunt, pauca tri-

1. Lib. II, cap. 33, dub. 8, n. 64. — 2. *De justit.*, dist. 36, n. 89.

buta esse in quibus statuendis constet omnes conditiones requisitas ut sint justa fuisse observatas: unde, cum justitia novi tributi clare non appetet, habet contra se præsumptionem<sup>1</sup>.]

*Potes* 4<sup>o</sup> utrum qui merces emit ab eo quem scit injuste defraudasse vectigalia, teneatur illa solvere.

*Resp.* negative; quia vectigal non est onus reale, seu rei affixum, quod transeat cum merce, sed onus personale venditoris, quamvis ex rei transportatione contractum.

Cœterum, notandum quod, quamvis non peccet præcise ex hoc quod emat talem mercem, nec teneatur restituere vectigal, si tamen sic emendo moveat alium ad iterum fraudandum, possit peccare et teneri ad restitutionem, ut cooperator damni.

*Potes* 5<sup>o</sup> utrum clerici sint exempti a tributis?

*Resp.* affirmative, regulariter loquendo.

[Constat 1<sup>o</sup> ex jure naturali. Ecclesia enim est societas in se perfecta, et quatenus est spiritualis et immediate a Deo instituta, societas civilis est superior: ex quo duplice titulo est ab hac posteriori independens. Unde: 1<sup>o</sup> ut societas perfecta, debet instrui omnibus mediis necessariis ad suum finem obtainendum. Atqui, cum homo duplice substantia constet, corpore scilicet et anima, sine bonis terrestribus bonum spirituale fidelium convenienter et complete procurari nequit. Ergo Ecclesiæ competit jus bona terrestria obtainendi et ut propria possidendi. 2<sup>o</sup> Si societas civilis potestatem haberet leges suas tributarias Ecclesiæ imponendi, Ecclesia non esset huic societati superior, nec ab ea independens; nam tributa exigi non possunt nisi ab inferioribus et subditis. Ergo.]

Constat 2<sup>o</sup> ex jure civili, L. *Sancimus. c. de sacrosanctis Ecclesiis*, L. I, tit. 2, quæ est Justiniani imperatoris Novella

1. S. Lig., lib. IV, n. 617.

*Item multa, c. de Episcopis et Clericis, ibid., tit. 3, quæ est Frederici imperat. Item cap. In qualibet, causa 23, q. 8, quod est Constantii et Constantis imperatorum.*

*Constat 3º ex jure cononic, cap. Quanquam, de Censibus, in 6º, lib. III, tit. 20, quod est Bonifacii VIII; cap. Clericis, tit. 23, de Immunit.*

Magnum concilium Lateran. IV, cui preter quadringentos et ultra Episcopos, octingentos tam Abbates quam Priors, aderant legati Imperatoris Constantinopol., Regis Romanorum, Gallorum, Anglorum, Hungarorum, Aragonum, et plurium aliorum principum, sub Innocentio III, prohibet sub anathemate ne sacerdotes exigant ab ecclesiasticis tributa.

Concilium Viennense, sub Clemente V, cui cum trecentis Episcopis aderat Rex Galliæ, jubet Ordinariis locorum ut publicent sententias excommunicationis et interdicti latas contra eos qui tributa exigunt a personis ecclesiasticis, pro earum rebus quas non negotiandi causa defrunt, aut deferri faciunt.

In bulla *Cœnæ*, « excommunicantur omnes qui absque speciali et expressa licentia summi Pontificis imponunt collectas, decimas, tallias, praestantias aut alia onera personis ecclesiasticis, aut earum bonis, sive ecclesiarum aut monasteriorum ipsorum, aut imposta exigunt, aut a sponte dantibus recipiunt, aut his actibus quoquo modo cooperantur. » Quod dicitur a sponte dantibus, intelligitur quando exactor recipit ab eo qui dat ante quam petatur, quia impositum est.

Concilium Trid., sess. xxv, cap. 20 de Reform., præcipit omnes canones et decreta in favorem ecclesiasticarum personarum exacte ab omnibus observari, eaque omnia præsenti decreto innovat.

[Ita concilium Trident., loco citato : « Cupiens sancta Synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solum restituí, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscumque impedimentis conservari, præter ea quæ

de ecclesiasticis personis constituit, sacerdotes quoque principes officii sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei Ecclesiæque protectores esse voluit, jus suum Ecclesiae restitui non tantum esse concessuros, sed... nec permisuros ut officiales aut inferiores magistratus Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonice sanctionibus constitutum aliquo cupiditatis studio seu inconsideratione aliqua violent... Decernit itaque et præcipit sacerdos canones et concilia generalia, neenon alias apostolicas sanctiones in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticae et contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innovat, exakte ab omnibus observari debere. » Inter sanctiones canonicas quibus hic alluditur, præcipuum locum obtinent constitutiones Alexandri IV et Bonifacii VIII in 6º Decretal. relatas, lib. III, tit. 23, de Immunit., cap. 1º *Quia nonnulli*, et 3º *Clericis*, ubi reprobantur et excommunicatione plectuntur « excessus laicorum qui clericis collectas, tallias et onera imponebant, et excessus clericorum qui talibus censemebant. »

In hunc locum Rom., XIII, 7 : *Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum, etc.* D. Thomas, lect. 2, dicit : « Ab hoc tamen debito liberi sunt clerci, ex privilegio principum, quod quidem æquitatem naturalem habet. Unde etiam apud gentiles liberi erant a tributis illi qui vacabant rebus divinis. Legitur enim, Gen., XLVII, 20-22, quod Joseph subiecit Pharaoni totam terram Ægypti, præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Et infra dicitur quod in universa terra Ægypti quinta pars solvit, absque terra sacerdotali, quæ libera erat ab hac conditione. Hoc autem ideo æquum est, quia, sicut reges sollicitudinem habent de bono publico in bonis temporibus, ita ministri Dei in spiritualibus, et sic per hoc quod Deo in spiritualibus ministrant, recompensant regi quod pro eorum pace laborat. »

Concludendum est ergo præceptum Apostoli, Rom.,

xiii, 5 et 6 : *Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis, non intelligendum esse de legibus tributariis quæ bona ecclesiastica afficiunt, quia, secundum declarationem concilii Trident. supra relatam, « Dei ordinationi et canonicis sanctionibus refragantur. Unde cujusvis generis tributa, sive directa sive indirecta, quibus nunc possesiones ecclesiasticæ vi legis civilis onerantur, non sunt solvenda propter conscientiam, sed tantum propter iram, seu necessitatem.]*

Dixi, « regulariter loquendo, » quia sunt quidam casus excepti.

Primus est, si clerici negotiationem exerceant, ut declarat idem Bonifacius, cap. *Quanquam* eit.

Secundus est, quando facultates laicorum non sufficiunt ad succurrendum necessitatibus publicæ. Ut autem in hoc casu exigatur tributum a clericis, requiritur consensus Papæ, ut patet ex cit. cap. *Adversus*, Decretal., lib. III, tit. 49, *de Immunit.* et ex Bulla *Cœna*. Quod si res non ferat moram, videtur sufficere consensus episcopi et cleri pro clericis sacerdotalibus et regularibus non exemptis: pro exemptis vero requiritur consensus suorum prælatorum.

Tertius casus est, secundum canonistas et theologos, quando tributum est æque primario et æque immediate in utilitatem clericorum et laicorum, ut pro aggere reparando, ne flumen inundet agros clericorum et laicorum, pro expellendis prædonibus qui vastant territorium in quo clerici habent multas possessiones; id enim æquitati naturali videtur omnino consentaneum. Secus, si contributio spectet immediate et primario communitatem, et secundario tantum ac per consequentiam clericos, quatenus sunt membra communitatis, ut tributa quæ spectant stipendia principis, bellum gerendum, reparationem arcium aut mœniorum civitatis, etc. Ita Sylvester, v<sup>o</sup> *Immunitas*, I, n. 2, cum Panormitano et aliis, et post ipsum Lessius, lib. II, c. 33, dub. 3.

Quartus casus est, si possessio aliqua habebat aliquod

onus annexum perpetuum et invariabile, antequam veniret ad ecclesiam, ecclesia tenetur ad illud, quia res transit cum onere suo. C. *Cum non sit*, Decretal., lib. III, tit. 30, *de Decimis et c. Pastoralis*, ibid., tit. 31, *de Regul.* Vide eundem Sylvestrum, ibid. Non potest tamen novis oneribus gravari.

[Petes 6<sup>o</sup> utrum bona patrimonialia clericorum sint etiam a tributis immunia.

*Resp.* duplēcēm esse sententiam. Prima affirmat: 1<sup>o</sup> quia Bonifacius VIII, cap. *Quanquam, de Censibus*, in 6<sup>o</sup>, lib. III, tit. 20, renovat constitutionem Alexandri IV, « qua statuit ecclesias et personas ecclesiasticas ad pedagia et quida-gia penitus non teneri, nec ad exhibendum vel solvendum talia pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt vel deferri faciunt seu transmittunt, » contraria consuetudine quorumecumque, quæ dicenda est corrup-tela verius, non obstante. Ubi res proprie ecclesiastico-rum, id est eorum bona patrimonialia a tributis exempta declarantur. 2<sup>o</sup> Quia in bulla *Cœna* excommunicantur qui imponunt collectas, etc., « personis ecclesiasticis aut eorum bonis sive ecclesiarum aut monasteriorum. » Ubi distinguuntur *eorum* seu clericorum bona a bonis ecclesiārum, et eadem immunitas hujusmodi bonis attribuitur. — Altera sententia negat: 1<sup>o</sup> quia bona patrimonialia clericorum non pertinent ad dominium ecclesiæ, et ideo alto dominio societatis civilis subduntur. 2<sup>o</sup> Quia usus, non contradicente Ecclesia in his posterioribus temporibus, prævaluit, ut hæc bona tamquam sacerdotalia haberentur et iisdem oneribus gravarentur. Hæc posterior sententia satis fundata videtur, ut nunc pro vera teneri possit.]

*Ne hoc volumen ultra modum excrescat, ad sequens aman-datur præsentis tractatus continualio.*